



20

D i s s e r t a t i o
inauguralis medica
de
Gangraena nosocomiali
quam consensu et auctoritate
Magnifici Domini Praesidis
et Directoris
Spectabilis Domini Decani
et totius
Inclytæ Facultatis Medicæ,
pro
Doctoris Medicinæ Gradu
rite consequendo
in Regia Scientiarum Universitate Hungarica
publicae disquisitioni submittit
Basilius Petrovits.

In Theses adnexas disputabitur in palatio Universitatis minori
die Decembris 1831.

Pestini,

Typis Josephi BeimeI, Typographiæ Strigoniensis, et
unius e Pestanis Proprietarii.



I l l u s t r i s s i m o

ac

Reverendissimo Domino

Gedeoni Petrovits

Orth. Ecclesiae Christi Orientalis

G. R. N. U.

Episcopo Batsiensi Segedinensi

Agriensi,

Patruo Maecenati,

munificentissimo.



**Illustrissime Domine,
Maecenas mihi gratiosissime!**

Quod primitias hasce studiorum, quibus anteactae vitae meae magna pars exstiterat sacra, sub auspiciis Illustrissimi Nominis TUI, iuris fecerim publici: in eo quidem non tam vereor, ne imperfectioni et ruditati operis cognita, ad excusandum prona animi TUI benignitas desit, quam spero, ut probato lucubrationum genere et scopo, iuvenilis ingenii, praesidium Illustrissimi Nominis TUI usurpantis, foetui veniam elargiri non graveris. Dat eam spem animus TUUS ad promovendas artium et scientiarum progressus continuo intentus, neque a conatibus, quamvis successu imbecillibus, attamen ratione bonis, adprobandis alienus; confirmat fiduciam beneficiorum in me collatorum memoria, quorum, eadem quae vitae meae, vestigia perpetuum fovere gratitudinem nunquam desitura sunt. — Atque utinam exuberantis animi sensus exarandi adesset facultas! — utinam sanctam pietatem, candidam iustitiam, benignitatem animi TUI infinitam, quarum virtutum benefica esfluvia universi, quorum

salus aeterna curae et solitudini concredita
TUAE, testes et participes persentiscunt, di-
gnis encomiis liceret celebrare! — verum ne-
gant vires, animi TUI modestia-obstat. Ita-
que mihi in votis longe ardentissimis sub-
sistendum, quo Deus ter optimus maximusque
TE, in solatium patriae, ornamentum, cui prae-
es, Ecclesiae, salutem denique, quam foves
humanitatis, quam diutissime salvum et inco-
lumem praestare velit.

Illustritatis TUAE

devotissimus cliens

Basilius Petrovits.

Gangraena nosocomialis, contagiosa,
Phagadaena gangraenosa, sphacelus no-
socomialis, Hospitalbrand, ea dicitur gan-
graenae species, quae in vulneribus aut ulceribus orta
per contagium evolutum propagatur, quae praesente
omnes textus organici in massam tenacem, albido
griseam, ulcerosam transformantur.

Etsi vix dubitari possit ab antiquioribus iam
medicis hanc speciem peculiarem gangraenae ob-
servatam fuisse, nihilominus tamen exactam hu-
ius mali descriptionem et eius ab aliis simi-
libus determinatam distinctionem in illorum scriptis
frustra quaerimus. Primam adaequatam descriptionem
non nisi in operibus posthumis Pouteau, qui et
ipse hac gangraena adfectus erat, et sufficientem
in nosocomio Leonano (Lyon), Hôtel de Dieu
dicto, eam observandi habuit occasionem, invenimus,
quamvis iam 1772. La Motte eius sub nomine
Pourriture mentionem faciat. — 1787. Dussaus-
soy eam in speciali dissertatione descripsit; ex An-
glis vero L. Gillespie 1785. primus de ea disseruit.

— Tardius Rollo, Blane, Trotter, J. Bell et duo discipuli Thomsoni: Leslie et Johnston, imprimis vero Delpesch, Hennen, Brugmans et Blackadder aliive cognitionem de hoc morbo, observationes suas communicando, plurimum amplificarunt.

Ad hanc materiam spectantia in sequentibus imprimis scriptis inveniuntur:

- Pouteau, Oeuvres posth. 1788.
 L. Gillespie in: London Medical Journal. vol. VI. 1785.
 Dussaussoy, Dissert. et observat. sur la gangrène de hôpitaux avec le moyens de la prévenir et de la combattre. Genève 1788.
 Rollo, an account of diabetes. Lond. 1797.
 Blane, on the diseases of seamen. Lond. 1799.
 Trotter, Medic. nautica. Lond. vol. II. III. 1799.
 J. u. K. Wenzel Bemerkungen über den Hospitalbrand, in Hufeland Journ. Bd. 8. St. 4. 1799.
 J. Bell, Principles of surgery. Edinb. vol. I. 1801.
 Leslie, de gangr. contag. Edinb. 1804.
 Johnston, de gangr. contag. nosoc. Edinb. 1805.
 Fr. Höne mann, Diss. inaug. de sphacelo nosocomiali. Herbiopol. 1807.
 Delpesch, mémoire sur la complication de plaies et des ulcères connue sous le nom de Pourriture d'Hôpital. Paris. 1815.
 Hennen, in: London Medical Repository. Martio 1815.
 J. C. Renard, Über den Hospitalbrand. Mainz. 1815.
 Benedikt, in Hufeland's Bibliothek. Bd. XXXIII. 1815.
 Brugmans, in: Annales de Littérature Med. vol. XIX. 1816. — et
 Brugmans u. Delpesch, Über den Hospitalbrand; aus dem Holländ. u. Franz. von Kieser. Jena 1816.
 Gerson; über den Hospitalbrand. Hambg. 1817.
 Blackadder, observations on phagadaena gangraenosa. Edinb. 1818.

- Gf. L. Brauer, praes. J. K. F. Leune, dissert. observat. quaed. de gangraena nosocomiali, quae anno huius saeculi 14-to Lipsiae inter milites variarum nationum grassata est. Lips. 1820.
 A. Riberi, sulla cancrene contagiosa o nosocomiale, con alcuni cenni sopra une resipila contagiosa. Torino. 1820.
 W. Werneck, kurzgefasste Beiträge zur Kenntniss der Natur, der Entstehung, der Verhütung und Heilung des Hospitalbrandes. Salzburg. 1820.
 Hennen, Grundsätze der Militair-Chirurgie; aus dem Engl. Weimar. 1822.
 Alexander, verhandelng over het hospitalversterf. Rotterdam. 1824. — et
 — — über den Hospitalbrand, in: Hippocrates-Magazin von Sander und Wachter. vol. V.
 Kluge et Siedmogrodzki in: Rust's Magazin Bd. XXVIII. Hft. II. 1828.

Celeberrimi de hac materia scriptores in eo conveniunt, gangraenam nosocomialem nunquam oriri in cute integra, verum se associare solum vulneribus et ulceribus. Thomson quidem asserit eam nonnunquam ex minuto punctulo inflammato vel tali vesicula initium ducere, quin minima laesio partis adfectae prius observata fuisset; sic et Gillespie meminit hanc gangraenam exortam fuisse post puncturas culicum (Muskito dictorum), vel ex punctulis inflammatis absque reperibili causa in extremitatibus inferioribus ortis, quae fricando disrupta guttulam seri sanguinolenti fundebant et mox in gangraenam transiverant. Verum in his casibus aut cum pustula maligna confundebatur, aut ad laesionem vel ulcuscu-

lum alterius characteris accessit, quo assertum reliquorum nonnisi confirmatur.

Circumstantiis faventibus gangraena nosocomialis absque causa specifica in cuti laesa evolvitur, dein vero per contagium sui generis propagatur.

Evolutio spontanea observabatur in nosocomiis situm depressiorem habentibus, in quibus angusta et humilia cubicula aegris, nominatim vulneribus suppurantibus adfectis, nimis impleta, aëris renovatio impedita, et munditiei necessaria cura neglecta fuit; in genere ubi plura momenta destructionem aëris promoventia concurrerunt. — In nosocomiis neoconstructis, extra urbes eminentiori in loco positis, gangraenam nosoc. spontaneae evolvi hucdum non contigit. — Sententia J. C. Renardi, Delpechi, Vautieri et Benedikti dicta aëris nosocomialis depravatio inducitur imprimis per linteum carptum pure et sanie imbutum, cui diutius coacervato, ex observatione medicorum nosocomii Hôtel de Dieu Parisiensium, peculiare innascuntur fungi. Verum sufficit ad malum hoc producendum materiale deligationi destinatum qualicumque modo inquinatum et impurum; imo, testante Kluge, etiam linteum carptum adparenter bonae qualitatis longiori tempore aëri nosocomiali expositum gangraenam nosoc. producere valet. In priori casu aegri *fermentum septicum*, ut Siedmogradzki non inepte nominat, praecipue pulmonibus et cuti, in postremo vero immediate vulnere recipiunt:

Quod propagationem gangraenae nosoc. per contagium concernit, ea duplici via contingere

potest. Contagium enim vel per adparatum deligationis, linteum carptum et alia, ichore et sanie conspurcata aut solum in cubiculo, aegros gangraena nosoc. adfectos continente, aliquo tempore adservata transfertur immediate; vel mediate disseminatur per aërem. — Primum a nemine negatur. Attamen Rust, qui saniem consulto et ex industria in plagam suppurantem aegrorum, conclavi non infecto se continentium, transtulit, vidit quidem gangraenam nosoc. oriri, verum mitiorem, ut ita dicam, benigniorem, nec late serpentes, quae semper absque artis subsidio sponte sua eliminabatur. Commoratio adeoque in aëre nosocomiali depravato, praecipuum videtur evolutionis illius agere momentum. — Contagium medio aëris disseminari plurimi quidem auctores, ut Pouteau, Delpech et alii defendunt, et epidemia in nosomio Caritatis (Charité) Berolinensium ante aliquot annos grassans, teste Siedmogradzki, hunc propagationis modum evidenter commonstrabat; nonnulli tamen, inter quos Trotter et Blackadder, hoc assertum impugnant.

Thomson pro contagiositate in genere sequentia adfert argumenta:

1. Gangraena nosoc. per spongas, linteum carptum, fascias et vestimenta talibus quoque individuis communicari potest, quae ab omnibus aegris hoc morbo adfectis semota sunt;

2. leviora quoque vulnera Chirurgorum, infectos aegros deligantium, inficiuntur, quamvis hi non in eodem conclavi cum aegris habitent;

3. saepe eius progressus ex uno individuo per seriem aegrorum manifeste demonstrari potest;

4. vulnera recentia et inveterata ulcera, aegro gangraenoso adproximata, paulo post pari ratione corripuntur;

5. sub certis circumstantiis progressus morbi impediri potest, infectum scilicet individuum segregando prius quam contagium ex plaga gangraenescente secretum actionem exserendi tempus haberet;

6. morbus longiori tempore ad idem conclave vel eandem navim restrictus manet, quin ad alia conclavia aut alias naves transiret, si sollicita cura adhibetur, ut inter infectos et eos, qui nedum sunt, nulla communio intercedat. Vidit Thomson gangraenam nosoc. ab unico individuo nosocomio illatam, quae dein neglectis cautelis necessariis magna in extensione se explicabat in reliquos aegros, imprimis in illos, qui vel primum patienti proxime cubuerant, vel quibus cum illo plurimum negotii erat; vidit praeterea corripere aegros, qui succedanei eodem lecto incumbabant, vel qui cito se insequuti idem cubicellum inhabitabant, et si non eodem utebantur lecto.

Etsi igitur infectio nonnunquam medio saniei, adeoque topice fiat, alias vero propagatio gangraenae a depravato aëre nosocomiali, a statu locali nosocomii aliisque dependeat; nihilominus tamen dubitari nequit, contagium aëri admixtum, saepe morbum producere, imprimis ubi gangraena, non obstante summa cura munditiei omnibusque observatis cautelis, ab uno aegro ad ei proxime iacentem et sic ultra propagari observatur.

Altera huius loci, a priori differrens, quaestio est: an aër contagio refertus immediate inficiat vul-

nera, an potius gangraena consequatur contagium percutim et organa respirationis susceptum? — Probabile est utrumque fieri; plus tamen conferre ad morbi evolutionem, si contagium in universum organismum agat, id vel Rustii prius adlata observatione, saniam vulnere adplicitum benigniorem provocare gangraenam, abunde probatur.

Ex hucdum dictis adeoque sequitur gangraenam nosoc. ad illos pertinere morbos contagiosos, qui faventibus circumstantiis externis in aëre peculiariter constituto sponte evolvuntur, dein vero medio contagii per contactum et in distans ultra propagantur.

Recentiores quidam duce Sprengel illius, sunt opinionis, quod gangraena nosoc. per contagium Typhi nosocomialis, tamquam huius manifestatio topica, provocetur; verum

a) gangraenam nosoc. non raro nulla comitatur adfectio universalis, et

b) ea evolvi observabatur, quin prius typhus contagiosus adfuisset, uti vicissim typhus nosoc. absque gangraena.

* * *

Disponentia. Quin anni tempus, tempestatis aut ventorum varia mutatio, prouti et aetas ac sexus hominum, peculiarem in huius morbi evolutionem monstrarent influxum, imprimis ad eum disponunt: nimia debilitas, motus et turbæ animi, victus tenuis depravatus, febres perniciosae, abusus hydrargyri etc. Omnia quidem vulnera ab eo corripuntur, facilius tamen contusione enata, sic et facilius ulcera soor-

butica et abdomini adiacentia, quam alia. — In nosocomio Caritatis Berolinensi, teste Si ed m o g r o d z k i, bubones exulcerati, qui deleto suo caractere syphilitico constitutionem sic dictam venosam (atoniam) assumerunt, saepissime inficiebantur. Rollo se vidisse perhibet ulcera specifica, in eodem conclave cum aegris e gangraena nosoc. decumbentibus, ab ea tamen immunia. Thomson quoque dicit ulcera specifica quidem rarius adfici quam simplicia, se vidisse tamen carcinomatosa et syphilitica haec gangraena correpta; meminit simul ab aliis adlatos fuisse nonnullos casus, in quibus sanatio talium ulcerum solum huic gangraenae tribuenda esse videbatur. Id quidem certum est, docente Kluge, ulcera syphilitica, si gangraena nosoc. inficiantur, non amplius producere syphilidem secundariam, etsi omnis cura antisiphilitica negligatur. — Gangraenam nosoc. in eodem individuo saepius oriri posse, plurimi testantur observatores.

* * *

Diagnosis. Comparant in hoc morbo phaenomena tam universalialia quam topica, non tamen certo ordine sibi insequentia; iam enim universalialia praecedunt topica, iam vero post topica sequuntur universalialia, imo in rarioribus casibus phaenomena universalialia distincta observantur nulla, quod in nosocomio Caritatis Berolinensi saepius accidit, verum etiam in his non defuerunt symptomata aliqua gastrica. — Ubi gangraena nosoc. agente aëre depravato evolvitur, vel ubi morbus per contagium medio aëris adlatum excitatur, ibi utplurimum comparant primum phaenomena universalialia; ex opposito vero, si morbus

provocatur per topicam insitionem contagii, vel si is per adparatum deligationis immundum generatur, tunc nonnisi post topica sequuntur universalialia; ex quo suum adquirunt explicatum oppositae relate ad hoc punctum autorum opiniones, quorum aliqui, ut Thomson, Hennen et alii, universalialia praecedere dicunt, aliqui vero, ut Rollo, Delpech, Blackadder, Boyer etc. topica esse priora docent.

Phaenomena universalialia utplurimum sequentia comparant: aegri anxii et inquieti conqueruntur de caenesthesi male adfecta, de appetitu cibi prostrato, de sapore oris amaro, de gravedine frontali et dolore capitis; lingua est oblecta (Hennen eam invenit brunescentem aut nigrescentem, Delpech albidam aut flavescentem, et Blackadder mucosam albo obductam); pulsus est frequens, debilis, irregularis; calor cutis nimis adauctus; in genere adsunt symptomata Synochi, in altiori gradu ea Typhi, utplurimum Symptomatibus gastricis connexa; nonnisi in rarissimis casibus observabatur initio adesse Synocha inflammatoria.

Phaenomena topica: consanatio vulnerum aut ulcerum inchoata subsistit; ea nunc plus aut minus dolent, saepe nec levissimum adtactum perferunt. Disparet rubor in superficie granulationum; puris secretio quoad quantitatem et qualitatem deficit; in uno aut in pluribus locis comparant maculae sordide albae, cinerascèntes, ulceribus syphiliticis aut aphthis similes, quae successive, saepe citissime saepe per plures dies, (et quidem excentrice, Rust), increscunt, demum confluant ita, ut integra superficies albido et

tenaci muco obiecta sit; rarissime accidit integram superficiem statim ab initio sic mutari. Metamorphosis haec, secundum Rust, de regula in uno puncto plagae, ut videtur adhuc normaliter suppurantis, inchoat, de die in diem increscit et sic successive omnem occupat ulceris superficiem, quae semper formam plus minus circulaem acquirit. Boyer quidem dicit aliquando fieri, ut malum hoc non per integram plagam suppurantem extendatur, verum Blackadder ex opposito contendit non subsistere gangraenam priusquam totam superficiem ulceris occupaverit. Berolinenses utrumque observarunt, rarius tamen primum, quod non nisi tunc evenit, si statim initio, ubi metamorphosis haec deleteria adhuc ad aliqua puncta ulceris restricta fuit, ea artis auxilio ab ulteriore sui extensione prohibebatur. — Ubi gangraena cutim attingit, margo ulceris dolens inflammatus indurescit, incrassatur, hinc inde erosus adparet, facile sanguinem plorat, extrorsum inflectitur ita, ut nunc ulcus formam cyathi praeseferat. Circa marginem in cuti oedematosa adparet circulus inflammatorius profunde ruber. Ex fundo ulceris emphysematice tumente evolvitur massa difformis, mucosa, albido grisea, putrescenti substantiae cerebri similis, quae in sui superficie, in brunescentes friabiles exsiccat crustas, mox loco cedentes novis succreturis. (Nonnunquam crustae non nisi pastaceae sunt consistentiae; Gerson talem gangraenam qua peculiarem speciem descripsit, et *Pulpy gangrene* nominavit.) Ex omni superficie profluit sanies cruenta, acris, specifico foetore praedita, partes vicinas corrodens; oriuntur haemorrhagiae, malumque tam in profundum quam in latum circulariter magis magisque extenditur. Sub hoc progressu

aut solum cutis cum subjecta tela cellulosa destruitur, aut simul etiam aponevroses, tendines, musculi, nervi, vasa, ligamenta et ossa corroduntur. Facillime cedit tela cellulosa, hinc non raro integumenta communia horum versus quasi suffodiuntur; diutissime resistunt arteriae, si hae tandem corripiuntur, et si illarum lumen ne fors iam in superiori aliquo loco per inflammationem adhaesivam obstructum est, tunc lethale ut plurimum oritur sanguinis profluvium. — Praeter haec, vasa lymphatica et glandulae vicinae inflammantur, in specie vero glandulae iugulares, subaxillares et inquinales dolorifice intumescunt.

Duratio hujus morbi dependet a constitutione individuali, ab intensitate affectionis universalis et ab extensione plagae gangraenescentis. — Stadium decrementi inchoat in casibus levioribus nonnunquam iam tertia aut quarta die, ut plurimum tamen sexta usque nonam, in intensissimis non nisi trigesima et quidem cum sequentibus symptomatibus: Dolor imminuitur; massa gangraenescentis secedit forma crustarum; secretum ulceris fit densius, magis albidum quam cruentum, perditque foetorem specificum; in nonnullis punctis ulcus fit purum; oedema circumferentiae subsidet; circulus inflammatorius disparet; margines, nunc formae irregularis, adtenuantur, emolliuntur; — tandem ulcus integrum depuratur; — inchoat suppuratio benigna cum granulatione, et integumenta communia suffossa partibus subiectis se iterum accommodant. — Sic lentis passibus procedit consanatio, usquedum per novam sub-

stantiam amissum resartum est, ubi dein vulnus cicatrice non nimis depressa obducitur.

* * *

Differentiae. Gangraena nosocomialis cum ulcere scorbutico, cui multum similis est, nequaquam confundetur, si nexus causalis ad utriusque genesim requisitus perpenditur, si symptomata et decursus eorum rite combinantur, et si ex nocentibus et iuvantibus concludere ad morbi naturam concessum fuerit. — Ab caeteris gangraenae speciebus imprimis differt: origine ex contagio vel miasmate ducente, decursu rapidiore, massa illa peculiari albido cinerascete, qua plaga ulceris obducitur, et forma sua externa propria, nempe: ulceris profunditate et peripheria circulari, atque illius figura cyathiformi, marginibus revolutis erosis. — Plures autores, nominatim Delpech et Gerson, diversas distinguere voluerunt huius gangraenae varietates; verum adlatæ ab iis differentiae tam leves et indeterminatae sunt, ut potius ad confundendam quam ad illustrandam diagnosim faciant; hinc fors non immerito eas hic loci praetermittendas esse censui.

* * *

Prognosis. Gangraena nosoc. semper est morbus periculo plenus, ex quo, si iniquae relationes, ut tempore belli, immutari nequeunt, innumeri aegri pereunt. — Si ea ad vulnera ampla, ad contusiones maioris momenti cum fracturis deterioribus connexas accedit, vel si in aegris exoritur, qui olim multum hydrargyri absumserant, tunc non raro morte finitur, uti et in illis casibus, in quibus idem indivi-

duum repetito ea corripitur. Vel enim febris eam concomitans transit in Typhum perniciosum, vel oritur lethale sanguinis profluvium, vel vero moritur aeger ex tabe per immanes dolores aut per suppurationem, extincta iam gangraena adhuc nimiam et pravam, inducta. — Ubi autem relationes externae aegro favent, ille constitutionis est robustioris, affectio universalis aut nulla aut exigua est, et nec vulneris extensio nimia obstat; ibi praesagium faustum statui potest. — In nosocomio Caritatis Berolinensi anno 1827. nullus aegrorum ex hoc morbo periit; multi tamen mutilabantur.



Therapia. In cura huius morbi tribus indicationibus satisfaciendum est.

1. *Præcavenda est evolutio gangraenae aut ad minus illius propagatio ulterius coercenda; quod fiet, evitanda causas generationi illius faventes, et amovendo aut destruendo miasma aut contagium fors iam evolutum.* — Ante omnia summa cura ponenda est in procurando libero aëris tractu, in eius renovatione et depuratione, aperiundo fenestras, applicando, sic dictos, ventilatores etc; evolvendo vapores miriaticos, nitricos, chloricos, in cameris non habitatis comburendo sulfur, calentibus lapidibus infundendo acetum etc. (In nosocomio Caritatis ad conclavia locabantur tenacula ex asserculis confecta, pedibus insistentia, linteum crassius (Sackleinwand) extensum gerentia, atque saepius de die concentrata chlreti calcis solutione obducta, ex quo aër continuo Chloro gasformi onustus reddebatur.) —

Praeter haec in cubiculis, vestimentis, in lintheaminibus lectis inservientibus, verbo in omni adparatu nosocomiali summa observetur mundities. — Vulnerati aut ulceribus obsiti non nisi pauci collocentur ad idem conclave; si qui vero iam gangraena nosocomiali adfecti essent, ii vel ad aliud conclave transponantur, vel, si id fieri non posset, adminus collocentur ad alium locum eiusdem cubiculi. — In Prophylaxim vero exhibeantur aegris alimenta multum nutrientia, vinum, acida vegetabilia, et ut prima signa saburrae observantur, pro circumstantiis, emetica vel laxantia; ulcera deligentur infuso specierum aromaticarum parca quantitate alcoholis vini remixto, aut solutionibus alcalinis multum dilutis, seponendo omnia pingua et resinosa.

2. *Destruendum est contagium vulneribus aut ulceribus iam adhaerens, producendusque is reactionis inflammatoriae gradus, qui ad eliminandum partes gangraenosas requiritur.* — Ad hoc diversissima commendantur media. — Thomson laudat cataplasma fermentantia; spiritum vini vel purum vel myrrham aloen et camphoram soluta tenentem; plurimum utilitatis expertus est ab oleo terebinthinae puro vel aequali quantitate unguenti resinosi (Ph, Lond.) mixto. — Alii autores multum celebrant acida, vegetabilia et mineralia, ut: acidum acericum; acidum citricum (Gillespie segmenta pomi citri applicuit), acetum pyrolignosum, acidum carbonicum, sulfuricum, nitricum (Gerson), acidum muriaticum et Chlorum liquidum (Brugmans, Kieser), — Solutiones acetatis plumbi, inspersio oxydi hydrargyri rubri, glacies imposita, multum abest ut profuerint, imo saepius nocuerunt; plus prae-

stabant nitras argenti et nitras hydrargyri (Cruikshank apud Rollo op. cit.). — Dussaussoy in levioribus casibus emendationem vidit post applicitum cataplasma ex pulv. cort. Chinae cum oleo terebinthinae, cui nonnunquam addidit salem ammoniacum. — Delpech et Blackadder ex opposito omnem denegant Chinae, topice adhibitae, virtutem; Rust vero asserit eius loco, et hic et in aliis ulceribus, pulverem Chamomillae florum semper sufficere. — Delpech, relate ad diversam mali intensitatem, diversa commendat remedia: in leviori gradu dicit abluendum esse prius massam pultaceam ulceris, dein forte acetum ulceri applicandum; in intensiori vero suadet usum lapidis infernalis et ferri candentis, et si nec postremum trans crassas crustas agere valeret, tunc, frustilla lapidis caustici, prope ad se invicem, trans illas crustas ad vivum usque imprimere solet. — Blackadder sequentem, ut videtur, omnino rei convenientem proponit agendi modum: superficies corporis tota in balneis tepidis saponatis iterato mundatur et lintheamina lecti saepius permutantur; ulcus ipsum a materia tenaci depuratur abluendo cum solutione carbonatis lixivae multum diluta et saepius contingendo cum lintheo carpto (spongiae non adhibeantur, semel enim capto earum usu abiiciendae sunt); hoc praestito, ulcus obtegatur tenuissimo sicco lintheo carpto, hoc in omnes eius cavitates leniter imprimitur, dein amovetur; quae operatio eo usque iteratur, usque dum ulcus purum et siccum comparet; nunc plumaceola intinguntur in liquorem arsenicalem Ph. Lond. aequali aut dupla quantitate aquae dilutum, atque ulceri ita imponuntur, ut ultra margines eius promineant; quoties illa exsiccantur (cir-

citer omni quadrante horae), toties iterum in dictum liquorem intinguntur et adponuntur. Si calor et inflammatio nimis accrescant, plumaceola obteguntur aluta oleo imbuta, haec vero fomentis frigidis. Si ad omnes partes ulceris accessus non pateat, liquor arsenicalis syringa iniicitur, vel imponuntur turundae eo imbutae. In dolore vehementiori exhibeatur opiatum. Haec omnia continuanda erunt, usque dum superficies insensili nigra sicca eschara ex integro oblecta fuerit, omnisque dolor disparuerit; nunc vero unguentum, compositum ex ana ol. terebinthinae et unguenti resinosi, aut ex duabus partibus terebinthinae ven. et una ungv. resinosi, liquefactum et in tantum calidum, in quantum aeger perferre valet, ulceri infunditur, superponitur linteam carptum et fascia; deligatio haec quotidie bis terve repetitur, observato tamen eo, ut ulcus ante singulam deligationem solutione carbonatis lixivae abluatur. Particulae escharae fors seiunctae forfice avellendae sunt; imo et cataplasmata cum farina et oleo lini ad escharae perfectam solutionem applicari poterunt, verum per ea laxitas partium subiectarum inducitur, ad quam dein corrigendam novae granulationes lapide infernali contigi debent. Ubi eschara ex integro secessit, deligatio cum superius dicto unguento, cui nunc et aerugo addi potest, ad perfectam cicatrisationem usque continuatur. — Commendari meretur et methodus in nosocomio Caritatis optimo cum fructu adhibita: ulcus obtegebatur linteo carpto, quod solutione chlreti calcis (ex drch. 1—4 Chlreti ad libram aquae) toties irrigatum fuit, quoties illud siccescere inciperet; in intensiori gradu ipsum chlretum calcis inspergebatur; in intensissimis vero applicabatur ferrum candens (a Pou-

teau, Dussaussy, Delpesch, Boyer, Chelius et aliis tantis celebratum laudibus) et quidem usque ad escharae siccae formationem. Non raro iam post dimidium horae omnes disparuerunt dolores, imprimis si margines, quod nunquam negligendum est, fortiter adustae fuerant. Usque ad escharae solutionem, post paucos dies inchoantem, aut nihil fiat aut applicentur cataplasmata emollientia; ubi vero ea penitus secessit, vinum camphoratum, acetum pyrolignosum et his similia bono adhibentur effectui.

3. *Ratio habenda est adfectionis universalis.* — Efficacior tractatio antiphlogistica, imprimis venae sectio, etsi Hennen eam tantopere commendat, raro necessaria, saepissime noxia erit; si enim febris gangraenam concomitans ad Synocham inflammatoriam etiam accederet, tamen diaeta tenuis, potus aciduli et laxantia (pulpa tamarindorum, pulpa prunorum, cremor tartari etc.) ut plurimum sufficient. Emetica initio morbi dare, etsi nulla adsint signa sordium sursum turgentium, commendant Pouteau, Dussaussy et Hennen; Blackadder ea non nisi ad saburram praesentem eliminandam exhibet. — Si febris in Synochum vergit indicata sunt acida mineralia; nervina rarissime requiruntur. Thomson in animi dejectione, anxietate et inquietudine nimia commendat opiatum, et quidem ubi simul cutis sicca est, cum vino stibiato. — Praeparata Chinae, vinum, victus animalis etc. potius sub convalescentia, quam sub ipso morbo adhiberi debent. — Si adfectio universalis nulla adest, nec porrigantur medicamina intus summenda, sufficiet enim victus nutriens, stimulans.